Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift

illam gloriam postularet triumphantis.
x. Hac de causa opinionem habet regni, quia
post omnia dixerat dominus: et die tercia resur-
get, putavit eum mulier post resurrecti-
onem ilico regnaturum, et hoc quod in secundo
adventu promittitur, in primo esse complendum,
et aviditate feminea presentia cupit imme-
mor futurorum. xi. Quod interrogat
dominus et illa petente respondit: quid vis,
non venit de ignorantia, sed ex eius persona
dicitur qui flagellandus et crucifigendus erat.
Quomodo et de emorroissa: quis me tetigit, et de La-
zaro: ubi posuistis eum, et in veteri quoque
testamento: Adam ubi es, et: descendens vide-
bo si iuxta clamorem qui venit ad me perfi-
ciunt, sin autem non est ut sciam. xii. Pos-
tulat autem mater filiorum Zebedei muliebri
errore et pietatis affectu, nesciens quid
peteret. Nec mirum si ista arguatur imper-
icie, cum de Petro dicatur, quando tria vult
facere tabernacula, nesciens quid diceret.

lc. i. Incipit passio sancti Pantaleonis martyris.

Regnante impio et iniquo
Maximiano, erat quidam vir
nomine Eustorgius habitans
in Nicomedia civitate, qui habuit filium
nomine Pantaleonem. Erat enim talis ut
neminem invenires secundum speciem deco-
ris eius a vestigiis pedum usque ad verticem.
Erat presbiter quidam Ermolaus, qui se abscon-
derat in domo cum aliis christianis, ubi transitum
habebat Pantaleon. Hunc videns Ermo-
laus transeuntem secundum consuetudinem, vidensque
decorem eius et reverentiam, cognovit
per spiritum quia vas electionis futurus erat.
Quadam vero die idem Ermolaus vocavit
eum, ut introiret in domicilium ubi abscon-
sus erat. Et cum introisset, salutavit eum
dicens: Gaudeas iuvenis omni decore
ornate. ii. Pantaleon vero quemadmo-
dum terra bona suscipit semen fructificans
secundum evangelium, quedam tricesimum, quedam sex-
agesimum, quedam centesimum, ita ille ver-
bum tenuit in semetipso. Et presbiter
dixit: Crede fili et accipe baptismum. Susce-
pit ergo baptismum Pantaleon, fuitque cum
presbitero dies septem. Post modicum
tempus defunctus est pater eius. Accepta po-
testate sanctos dei servos et ancillas omnes
collegit, dansque eis pecuniam dimisit eos
liberos, et quod remansit pauperibus eroga-
vit, et his qui in carcere erant, quos Max-
imianus pro nomine Christi torquebat. Post
hec imperator iussit adduci sanctum Panta-
leonem. Cui dixit: Quod audivi non credidi,
potest enim ista fama falsa esse. Audivi
enim quia circuis eos quos torqueo, eo
quod non colunt deos. Pantaleon dixit: Dii tui
celum et terram non fecerunt, sed iube ut re-
quiram si ista fecerint et credam eis.
iii. Videns imperator quia ei non consensit,
iussit eum in eculeum suspendi et lampa-
des ardentes lateribus eius applicari. Cum
autem torqueretur, oravit dicens: Domine Ihesu
Christe adesto nunc mihi et libera me. Et con-
tinuo apparuit ei dominus in similitudine